

si non resignasset; lib. 2. *Feud.* tit. 26. § *Titius*, quia jus, quod agnatis ex antiqua investitura competit, alieno facto auferri non potest; arg. l. *Id quod nostrum*, 11. ff. de *Reg. Jur.* (24. Quarto, amittitur Feudum ob commissam Feloniam, quæ Felonia est terminus Feudalis, qui delictum Vassalli Feudo privans significat, lib. 2. *Feud.* tit. 33. (25. Ad quos autem revertatur, an ad Dominum, vel agnatos Vassalli Feudum amissum ob aliquam ex supradictis causis, vide apud Feudistas præsertim Jul. Clar. § *Feudum*, Rosental de *Feudis*; Fachin. lib. 7. per totum, et alios. (26. Jus competens Domino directo Feudi est jus proprietatis, et domini directi in ipso Feudo, seu re Feudali, lib. 2. *Feud.* tit. 23. et ultra habet jus positivum consistens in obligationibus, quibus eidem adstrictus manet Vassallus, quæ obligationes infra enumerabuntur. (27. Obligationes autem ipsius Domini erga Vassallum sunt specialiter sequentes. Primo, ut præstito fidelitatis juramento, Vassallum illico in possessionem mittat, et si moram fecerit, omnem utilitatem Vassallo præstet, lib. 2. *Feud.* tit. 7. Secundo, si Vassallum in re aliena, sive scienter, sive ignoranter, investiverit, tenetur eidem de evictione lib. 2. *Feud.* tit. 8. dummodo Vassallus tempore investituræ nesciverit Feudum sibi conferendum rem esse alienam, cit. lib. 2. tit. 8. ibi: « Qui enim alienæ rei sciens investituram acceperit, nisi pacto speciali sibi prospexerit, de evictione agere non poterit, » et dummodo Vassallus post litem motam, Dominum, ut se defendat, debite monuerit, lib. 2. tit. 25. Tertio, debet Vassallo reciproce fidelitatem; cap. de *Forma* 18. caus. 22. quæst. 5. ibi: « Dominus quoque fideli suo in his omnibus vicem reddere debet. Quod si non fecerit, merito censebitur malefidus, sicut ille qui eorum prævaricatione, vel faciendo, vel consentiendo deprehensus fuerit perfidus, et perjurus. »

(28. Jus competens Vassallo est Dominium utile in Feudo, ita ut rem Feudalem libere administrare, Feudo uti, et frui, et ea omnia circa illud disponere possit, quæ meliorem, non item quæ deteriore reddunt conditionem Feudi; lib. 2. *Feudor.* tit. 8. (29. Obligationes autem ipsius Vassalli erga Dominum directum sunt specialiter sequentes, enumeratæ in cap. de *Forma* 18. caus. 22. q. 5. ibi: « Qui Domino fidelitatem jurat, ista sex semper in memoria habere debet: Incolome, Tutum, Honestum, Utile, Facile, vel Possibile. Incolome videlicet, ne sit in damnum Domino suo de corpore suo. Tutum, ne sit in damnum de secreto suo, vel munitionibus, per quas tatus esse potest. Honestum, ne sit in damnum de sua justitia, vel de aliis causis, quæ ad honestatem ejus pertinere videntur. Utile, ne sit ei in damnum de suis possessionibus. Facile, vel possibile, ne id bonum, quod Dominus suus facere leviter poterat, faciat ei difficile, neve id, quod Possibile erat, esset dotanti proxime in Feudo successura, quia tunc speciem refutationis continere diceretur, quæ non est prohibita alienatio, cum

sufficit abstinere a malo, nisi fiat id quod bonum est, restat ut ex supradictis consilium, et auxilium Domino suo fideliter præstet, si beneficium dignus vult, et salvus esse de fidelitate, quam juravit, » qui textus habetur etiam in lib. *Feud.* tit. 6. (30. Obligatur insuper Vassallus, ut contingente mutatione sive ex parte sui, sive ex parte Domini per mortem, vel alium casum, petat renovationem investituræ et Domino Fidelitatem juret; lib. 2. *Feud.* tit. 21.

(31. Vassallus sine consensu Domini potest alienare Feuda hereditaria concessa sibi pro suis heredibus, et quibuscumque dederit, textu expresso in lib. *Feud.* tit. 48. ibi: « Si quis ea lege alicui dederit Feudum, ut ipse, et sui heredes, et cui ipse dederit habeat, respondeo, iste qui accepit, poterit id vendere, vel donare, vel aliter, si placuerit, etiam sine voluntate Domini alienare. » Communis. (32. Item potest Vassallus sine consensu Domini alienare Feudum proximiori agnato immediate in Feudum successuro. Communis, arg. l. 1. *Feud.* tit. 13. § fin. et lib. 2. tit. 38. (33. Item potest Vassallus etiam absque consensu Domini Feudum alteri in Feudum dare, dummodo subinfeudandus sit ejusdem conditionis cum Vassallo Principali, ne fiat deterior conditio Domini, textu expresso in lib. 2. *Feud.* tit. 9. et tit. 34. ibi: « Nec Vassallus Feudum sine voluntate Domini alienabit; In Feudum tamen recte dabit, si secunda Persona sit talis, quæ Feudo servire possit, ut si dans miles est, et ille, qui accepit Feudum, inveniat miles, ad hoc ut Feudum si contingerit, Domino similiter servire, ut et prior possit. » Idem habetur tit. 26. § 5. verb. *Beneficium*. Jul. Clar. § *Feud.* q. 32. Pirhing. lib. 3. *Decr.* tit. 20. num. 18. Reiffenstuel *ibid.* num. 124. et communis aliorum. (34. Item sine consensu Domini potest Vassallus Feudum ad modicum tempus locare, dummodo locatio non sit fraudulenta alienatio, uti esset locatio ad longum tempus, textu expresso in lib. 2. tit. 9. ibi: « Potest locare, nisi locatio esset fraudulenta alienatio. »

(35. Non potest tamen Vassallus sine consensu Domini Feudum donare, lib. 1. *Feud.* tit. 9. Communis. (36. Nec hypothecare, lib. 2. *Feud.* tit. 55. Communis. (37. Nec permutare, cit. lib. 2. *Feud.* tit. 55. Communis. (38. Nec testamento relinquere, aut legare, lib. 1. *Feud.* tit. 8, Communis. (39. Nec in solutum dare, nec in dotem dare, lib. 1. *Feud.* tit. 9. § *Donare*; Rota p. 5. tom. 1. decis. 167. Card. de Luca de *Feud.* disc. 20. num. 2. et alii passim.

(40. Posset tamen Feudum in dotem dari sine consensu Domini, ubi particularis lex vel consuetudo id concederet, cum his leges, vel consuetudines generales cedant arg. c. *Cum tanto* 11. de *Consuetud.* Card. de Luca de *Feud.* disc. 20. n. 4. (41. Item in dotem dari potest sine consensu Domini, ubi mulier, pro cujus dote Feudum datur, esset dotanti proxime in Feudo successura, quia tunc speciem refutationis continere diceretur, quæ non est prohibita alienatio, cum

sit præventiva successio; Card. de Luca de *Feud.* c. disc. 20. n. 5. (42. Item sine consensu Domini mulier Feudaria potest sibi ipsi in dotem Feudum dare, seu assignare, dummodo det, seu assignet inæstimatum; secus autem, si æstimatum ea vera æstimatione, quæ faciat emptionem, cum tunc esset formalis alienatio per viam contractus emptionis, et venditionis, qui occultari dicitur, ut ita distinguendo firmant Isernia et Bald. in c. 1. § *Donare*, *Qualiter olim Feud. poter. alien.* Capyc. *Investit. Feud.* verb. *Pro dote* vers. *Aut sumus in mulier.* A ponte, de *Potest. Præreg. de ascens. Reg. super dot.* in princ. num. 3. Lerata, *Theatr. Feud.* part. 10. dilucid. 60. n. 6. Borell. in *Summa decis.* part. 3. tit. 4. de *Jure dotium*, num. 268. Rosental, de *Feud.* c. 9. concl. 9. n. 9. Card. de Luca de *Feud.* cit. disc. 20. n. 7. et alii passim. (43. Non sic autem in Regno Neapolitano, ubi neque mulier id facere potest sine assensu. Ita cum aliis Card. de Luca de *Feud.* cit. disc. 20. num. 8. (44. Vassallus sine assensu Domini nequit Feudum vendere, nec alio quocumque contractu, quo jus Reale transfertur, alienare, textu expresso in lib. 2. *Feud.* tit. 52. ibi: « Hac Edictali, Deo propitio, perpetuo valitura lege sancimus, ut nulli liceat Feudum totum vel partem aliquam vendere, vel pignurare, vel quoquo modo distrahere, vel alienare, vel pro anima judicare sine permissione illius Domini, ad quem Feudum spectare dignoscitur. » (45. Feudum novum potest Vassallus cum consensu Domini quocumque contractu alienare; lib. 1. *Feud.* tit. 13. § final. (46. Non item antiquum; nisi accedat etiam consensus agnatorum, aliter, mortuo alienante, redit iterum ad proximum agnatum sine refusione ullius pretii, nisi per annum sciens taceat, textu clarissimo in lib. 2. *Feud.* tit. 26. § *Titius*. Comm. (47. Feudum antiquum male alienatum, si proximus agnatus suo tempore non revocet, possunt illud, eo mortuo, agnati remotiores revocare; Fachineus lib. 7. c. 13. Reiffenstuel. loc. cit. num. 128. et communis aliorum. (48. Agnatis competit jus retractus Feudi absque eorum consensu alienati; arg. l. 2. *Feud.* tit. 9. § *Porro*, et tit. 28. § *Titius*. Communis. (49. Licetum est alienare Feudum ad ratificationem Domini, seu sub clausula, et conditione: *Si Dominus consenserit*, Jul. Clarus § *Feudum*, quæst. 14. num. 5. et communis aliorum.

#### ADDITIONES EX EDITIONE ROMANA.

(50. De successione in Feuda Ecclesiastica jam constituta, paucis hic agendum. Spectandæ autem in primis sunt litteræ Investituræ, et juxta eas successio regulanda est.

(51. Quod si Litteræ investituræ lateant, successio in Feuda hæc Ecclesiastica regulari haud potest secundum jus Longobardicum,

#### FIDEICOMMISSUM.

##### SUMMARIUM.

1. Fideicommissum quid sit. — 2. Hæres, qui jubetur restituere hæreditatem, vocatur *Hæres Fidei-*

propterea quod, ut supra in additione ad primum articulum diximus, ut supra feudum Ecclesiasticum non proprium, sed improprium censeretur debet; Confer Bohemer. in *Decretal.* lib. 3. tit. 2. § 57. et plur. seq. Hertium in *Paræmiis Juris* lib. 2. paræm. 10. in fin. Schilter. ad *Rubric. Jur. Feudal. Alaman.* § 15. Sand. tit. 3. *Consuetud. Feud. Geldr.* § 7. n. 2. et duob. sequent.

(52. Hinc autem non sequitur, feuda Ecclesiastica esse hæreditaria, et alienabilia, quum qualitates hæ Feudi rationem, quoad maximam partem, destruant, efficiantque, ut fere nunquam ad Ecclesiam reverti queant, et directum ipsius dominium fere annihilent. Consuetudine vero feuda Ecclesiastica accipere posse hanc naturam, ut mere hæreditaria sint, ita ut de iis testandi facultas permessa sit, probat post alios Bohemer in *Decretal.* lib. 1. tit. 2. § 64.

(53. In dubio autem femina potius, quam hæreditaria Feuda Ecclesiastica præsumi debent, ut firmat idem Auctor loco mox citato sequenti § 65.

(54. Num autem in Feuda Ecclesiastica succedant Ascendentes et Collaterales, qui a primo acquirente sanguinem haud trahunt, non levis quæstio est. Porro si feuda hæc Ecclesiastica mere hæreditaria sint, succedunt in ea et hi. Quoniam vero non omnia feuda Ecclesiastica habent naturam hanc irregularem, contrarium in dubio est statuendum. Confer itidem Bohemer. ubi supr. § 66.

(55. Quæ dicta hactenus sunt de successione in Feuda Ecclesiastica, quæ constituta reperiantur, eadem locum sibi vindicant, quoad successionem in Feuda Ecclesiastica, si qui in posterum constituentur ex solemnibus oblatione.

(56. Reliquum est, ut verba faciamus de Felonia in his Feudis commissa. Porro Prælatum non adeo rigide circa Feloniam commissam procedere valet præsertim si culpa magis, quam dolo, commissa ea fuerit utpote si debito tempore renovatio investituræ non sit petita, Feltmann. lib. 1. de *Titul. honor.* c. 45. § 21. Alias si gravius quid per dolum in Prælatum commissum sit, privari Feudo Vassallus potest. Vide exempla apud Bohemer. eod. loco § 69.

(57. Remissio Feloniæ spectat ad Prælatum, etiamsi inconsulto Capitulo suscipiat, nisi forsan collatio simul Capitulo debeatur. Cæterum, an post Constitutionem Urbani VIII. qua tum infeudandi, tum re infeudandi, potestas omnis adempta penitus est, competere amplius Prælato possit remissio Feloniæ, dubitari, et non immerito potest.

(58. De altera illa specie Feudi Ecclesiastici in sensu lato, in quo scilicet ipsa Ecclesia recipit in Feudum, consule Bohemer. plur. citat. loc. a § 70. ad fin.

ciarius, item *Hæres gravatus*, item *Hæres Fideicommissarius*. — 3. Is vero, cui jubetur restitui, vocatur *Fideicommissarius simpliciter*. — 4. Fidei-

commissum dicitur ambitiosum Hominis placitum ad conservationem bonorum in familia. — 5. Ante legem XII Tabularum erat incognitum, et ejus usus incepit temporibus Augusti Cæsaris. — 6. Fideicommissum aliud est universale, et aliud particulare, et quid sit utrumque. — 7. Fideicommissum particulare sequitur naturam Legati, et jure novo re ipsa non differt. — 8. Item fideicommissum aliud est purum, seu absolutum et aliud est conditionale. Quid sit Fideicommissum purum, seu absolutum. — 9. Quid sit fideicommissum conditionale. — 10. Item dictum fideicommissum subdistinguitur in restitutorium, et conservatorium, et quid sit utrumque. — 11. Rursus, fideicommissum in casu mortis aliud est, quod simplex, ac ordinarium dicitur non excludens Successorum pluralitatem, et simultaneum concursum, et aliud contra. — 12. Substitutio quid, et quotuplex sit. — 13. Substitutio fideicommissaria quid sit. — 14. In fideicommissio generali ordinato ab ascendente, substitutiones intelliguntur factæ sub tacita conditione: *Si institutus, vel gravatus, sine filiis decesserit*; ita ut quævis Proles præferatur extraneo substituto. — 15. Non decedit sine liberis, qui unicum prolem, sive masculum sive femellam habet. — 16. Si filius gravatus in testamento Patris hæreditatem alteri restituere, *si sine liberis decesserit*, ingrediatur Monasterium bonorum capax ibique profiteatur, excluditur substitutus, et succedit Monasterium. — 17. Limitatur primo conclusio in casu, quo Testator veram, et naturalem filiationem voluerit, puta si dixerit *sine veris filiis*, vel *sine filiis legitimis, et naturalibus*, aut *ex corpore suo natis*, cum similibus. — 18. Limitatur secundo in casu, quo Testator tacite, vel expresse consideraverit con-

(1. Fideicommissum est hæreditas, vel pars illius, quam Hæres a Testatore rogatur, vel jubetur alteri restituere. Est in re communis; arg. tot. tit. Cod. de Fideicom. et Inst. de Fideicom. hæred. (2. Hæres, qui jubetur, vel rogatur restituere hæreditatem, vel partem ejus, vocatur *Hæres Fiduciarius*; item *Hæres gravatus*. l. Scias 46. ff. S. C. Trebellian.; item vocatur *Hæres Fideicommissarius*. (3. Is vero, cui jubetur restitui, vocatur *Fideicommissarius simpliciter*. § Sed quia 7. Inst. de Fideicom. hæred. (4. Fideicommissum dicitur ambitiosum hominis placitum ad conservationem bonorum in familia. Rota p. 6. rec. dec. 312. num. 4. (5. Ante legem XII Tabularum erat incognitum, et ejus usus incepit temporibus Augusti Cæsaris; Rota par. 5., tom. 1. dec. 36. n. 44. et part. 10. dec. 1. num. 64.

(6. Fideicommissum aliud est universale et aliud particulare. Universale est quando tota hæreditas, vel certa quota ejus debet alteri restitui: § *In primis*, et § *Præterea*, Inst. de Fideicom. hæred. Particulare est, quando non tota hæreditas, vel certa quota, sed solum res aliqua particularis restitui debet; Inst. de singulis rebus per Fideicommiss. relict.

(7. Fideicommissum particulare sequitur naturam Legati, et jure novo re ipsa non differt, lib. 1. ff. de Legat. 1. Pirhing. lib. 3. tit. 26. n. 72. Reiffenstuel. ib. n. 605. et alii passim (1). (8. Item Fideicommissum aliud est purum, seu absolutum, et aliud est con-

(1) Sed Duarenus Oper. t. 2, in tit. ad leg. Falcid. pag. 444, discrimen, quod inter legata, et particularia fideicommissa intercedit, mirifice distinguit.

servationem agnationis. — 19. Limitatur tertio in casu, quo hæres iniquo animo fraudandi substitutum fideicommissum ingreditur Religionem. — 20. Limitatur quarto in casu, quo hæres gravatus inductus est ad ingressum Religionis suasionibus, et blanditiis Monachorum. — 21. Limitatur quinto in casu, quo hæres ingreditur Monasterium bonorum in communi, et successionis omnino incapax. — 22. Limitatur sexto in casu, quo alia causa pia sit substituta. — 23. Fideicommissum regulariter loquendo vendi, pignorari, vel hypothecari nequit. — 24. Limita primo, si alienatio est necessaria pro solutione debitorum Testatoris. — 25. Limita secundo, si alienatio est necessaria pro competenti dote, vel pro alimentis hæredis gravati, et suorum descendendum, vel pro liberatione possessionis ab hostibus, et latronibus. — 26. Limita tertio; si est necessaria distractio pro distractione Legitimæ, et Trebellianicæ. — 27. Limita quarto, si distractio est utilis. — 28. Limita quinto, si alienentur res, quæ servando servari non possunt. — 29. Limita sexto, si omnes vocati, et substituti ad alienationem consentiunt. — 30. 31. De Fideicommissio hæredi præsentis injuncto. — 32. An requiratur promissio hæredis. — 34. Fideicommissum conventionale. — 35. An possit esse universale. — 36. An constitui possit in favorem tertii. — 37. Nec est locus beneficio quartæ Trebellianicæ. — 38. Fideicommissum reciprocum simpliciter et reciprocum lineare. — 39. De Fideicommissis per acta inter vivos constitutis. — 40. 41. Quomodo a Fideicommissis ultima voluntate relictis differant. — 42. De jure liberorum in hujusmodi Fideicommissi successionem.

ditionale. Fideicommissum purum, seu absolutum est, quod fit absque omni conditione apposita, et tale est, si Testator verb. grat. dicat: *Petrum hæredem instituo*, eumque rogo, vel mando eidem ut totam, vel modicam hereditatem restituat Paulo. Est in re communis, argument. § 1. Inst. de Fideicom. hæred. (9. Fideicommissum conditionale est, quod fit apposita aliqua conditione, ut si Testator dicat: *Petrum hæredem instituo*, voloque, ut si sine liberis decesserit, hæreditas restituatur Paulo. Hoc autem Fideicommissum conditionale, eventiente, seu purificata conditione evadit purum, seu absolutum; arg. l. Cedere diem 113. ff. de V. S. et l. 1. ac 4. ff. Quando dies legat.

(10. Dictum Fideicommissum subdistinguitur in restitutorium, et conservatorium: Fideicommissum restitutorium est illud, quod pure et simpliciter ordinatur pro casu mortis, ut cum Testator Hæredem instituit, V. G. Titium, eique mandat, ut in casu suæ mortis totam, vel mediam hæreditatem restituat Cajo, et de hoc Fideicommissio raro audiuntur quæstiones in Tribunalibus; cum in claris, et in expressis non intrent quæstiones, et argumenta, textu expresso in 2. Ille aut ille 25. ff. de Legatis 2. ibi: *Cum in verbis nulla ambiguitas est, non debet admitti voluntatis quæstio.* Fideicommissum conservatorium est illud, quod instituitur cum expressa prohibitione alienationis, seu confiscationis, ad hoc ut pro majori splendore, ac decore familia bona conser-

Heinec. Element. jur. lib. 2, tit. 24, § 675. Vin. Inst. lib. 2, tit. 20, § 3, n. 3 et 4. (EDIT. BARBIELL.)

ventur in agnatione vocata, et ne extra illa exeant, et tunc Hæres gravatus non potest illa alienare, vel obligare, l. Sancimus 7. cod. de Rebus alienis non alienandis cum similibus.

(11. Rursus Fideicommissum in casu mortis aliud est, quod simplex, ac ordinarium dicitur, non excludens Successorum pluralitatem, ac simultaneum concursum omnium, qui eundem proximitatis gradum, vel æqualem statum habent; et tunc Hæres gravatus non potest alterare ordinem a Testatore præscriptum, uni gratificando, et alium excludendo; l. Omnia 32. § in Fideicommissio, ff. de Legatis 2. alias l. cum ita legatur; l. fin. Cod. de verborum Signific. cum similibus; Card. de Luca de Fideicommiss. disc. 16. num. 3. Peregrin de Fideicommissis artic. 14. numer. 7. Bellon. jun. consil. 1. a numero 32. ad numer. 36. Rota apud Serafin. dec. 874. et apud Coccinum dec. 493. Et aliud est quod pluralitatem successorum seu plurium simultaneum concursum non admittit, sed uni tantum Personæ convenit atque istud sub duplici vocabulo explicatur *Primogenitura*, scilicet, ac *Majoratus*; et hoc Fideicommissum regulatur eodem fere jure ac Feudum; cum a Primogenituris ad Feuda, vel econtra, quoties lex Feudorum non urgeat, licitum sit arguere. Card. de Luca de Feudis discurs. 45. num. 4. Molina de Primogenituris lib. 1. c. 1. num. 7. Surdus consil. 241. et alii Juristæ passim, apud quos plurima de omnibus istis.

(12. Substitutio est unius in alterius locum ad rem aliquam in ultima voluntate vocata; est in re communis. Substitutio est duplex: directa et indirecta. Directa est, per quam substitutus hæreditatem Testatoris consequitur immediate, et sine ministerio alterius primi instituti, uti si Testator dixerit: *Petrus sit hæres*, aut si hic non erit, sit *Paulus*. Indirecta est per quam committitur fidei directi hæredis, ut hæreditatem tradat alteri, ideoque etiam dicitur Fideicommissaria, quia substitutus accipit hæreditatem, non directe a Testatore, sed a Fideicommissario. Ut si Testator dixerit: *Petrus sit meus hæres*, quem rogo, seu gravo, ut quando morietur, hæreditatem totam, seu partem aliquam v. g. mediam, vel tertiam, vel certam rem Paulo restituat. (13. Unde substitutio Fideicommissaria est, qua hæres ex testamento, vel ab intestatu decedens, vel absolute, vel sub conditione gravatur, seu obligatur hæreditatem totam, vel certam aliquam partem ejusdem mediam v. g. vel tertiam, vel certam rem alteri restituere. Est in re communis; arg. § 1 et 2, inst. de Fideic. hæred.

(14. In Fideicommissio generali ordinato

(1) Quin imo non dicitur quis decedere sine filiis licet filios tantum naturales habeat, quorum ideo existentia repellit substitutum, et fideicommissum caducitatem impedit, sive masculus, sive femina fideicommissio gravata sit, ut tenet, et exemplis confirmat post multos allegatos Voet. in Pandect. lib. 36, tit. 1, n. 15, præsertim si fuerint legitimati. Hoc tamen limita in casu, quo fuerint in conditione

ab ascendente substitutiones intelliguntur factæ sub tacita conditione: *« Si institutus vel gravatus sine filiis decesserit, »* ita ut quævis proles præferatur extraneo substituto textu expresso in l. Cum avus 10 ff. de Cond. et demons. et l. Cum acutissimi 30 Cod. de Fideic. ibi: *« Si quis filium suum hæredem instituit et restitutionis post mortem onere subegit, non aliter hoc videtur disposuisse, nisi cum filius ejus sine sobole vitam suam reliquerit. »* Ubi etiam hæc ratio subjungitur: *« Quia merito præsumitur hæreditatem suam potius propriis descendentibus, quam alienis relinquere voluisse. »* Est communis cum Rota part. 5. recentior. tom. 1. decision. 329. numer. 11. part. 12 dec. 380. num. 5. par. 16. dec. 132. num. 2. et seq. par. 17 dec. 170. num. 8. par. 18. tom. 1. dec. 102. n. 3 et 13. et sæpe alibi. (15. Non decedit sine liberis, qui unicum prolem, sive masculum, sive femellam, habet textu expresso in l. 148. de V. S. ibi: *« Non est sine liberis, cui vel unus filius, unave filia est. »* Communis. (16. Si filius gravatus in testamento Patris hæreditatem alteri restituere *si sine liberis decesserit*, ingrediatur Religionem, seu Monasterium bonorum capax, ibique profiteatur, excluditur substitutus, et succedit Monasterium. Rota par. 8 dec. 34. num. 4 et seq. par. 12 dec. 433. n. 17 et sequent. Testator enim præsumitur diligere Monasterium, sicut filium instituiti, et proinde sicuti prætulit substituto filio instituti, ita censetur voluisse præferre Monasterium. Rota par. 3. dec. 358. num. 3 et seqq. par. 8. dec. 134. num. 10 et seq. Covarruvias lib. 2. Variar. resolut. cap. 19. Layman lib. 1. tract. 5. c. 9. Piringh. lib. 3. Decretal. tit. 26. num. 74. Reiffenstuel loc. cit. num. 624. Authent. Nisi rogati, Cod. ad S. C. Trebellian. quæ desumpta est ex Authent. de S. S. Episcop. § Sed et hoc, Coll. 8. et cap. In præsentia 8. de Probat. ubi in simili casu proposito judicatum est ad favorem Monasterii contra substitutos (1).

(17. Limitatur tamen prima conclusio in casu quo Testator veram et naturalem filiationem voluerit, puta si dixerit, *sine filiis*, vel *sine filiis legitimis, et naturalibus*, aut *ex corpore suo natis* cum similibus. Rota par. 3. dec. 358. num. 3. et seq. part. 6. dec. 179. n. 16. cum sequent. par. 8. dec. 131. num. 6. par. 12. dec. 434. num. 6. Si enim Testator in conditione *si sine filiis*, expresse rit qualitates non competentes, nisi naturalibus, tunc Monasterium non censetur consideratum loco filii. Rota part. 3. dec. 358. numer. 12. et sequent. part. 6. dec. 179. n. 17. par. 8. dec. 134. num. 6. part. 12. dec. 434. n. 6. (18. Limitatur secundo, in casu quo Testator tacite, vel expresse considera-

positi filii legitimi, et ex legitimo matrimonio geniti, tunc nec subsequente matrimonio legitimati elicere valent, ut conditio deficiat, ut per eundem Auctor. n. seq. Anton. Fabr. Cod. lib. 6, tit. 24, defin. 19. Mantie. de Conject. ult. volunt. lib. 11, tit. 12, n. 17 et seq. Fachin. Controvers. lib. 4, c. 53. (ED. T. BARBIELL.)